Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

va carissima et gratissimus hinnulus.
ubera eius inebrient te omni tempore et in
amore eius delectare iugiter. Quare
seduceris fili mi ab aliena. et foveris in
sinu alterius. Respicit dominus vias
hominis et omnes gressus illius considerat.
Iniquitates sue capiunt impium et fu-
nibus peccatorum suorum constringitur. Ipse mo-
rietur quia non habuit disciplinam
et in multitudine stultitie sue decipietur.

Fili mi si spoponderis ·VI·
pro amico tuo defixisti apud ex-
traneum manum tuam. illa-
queatus es verbis oris tui. et captus es
propriis sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi.
et temetipsum libera. quia incidisti in ma-
nus proximi tui. Discurre festina. sus-
cita amicum tuum. ne dederis somp-
num oculis tuis. nec dormitent pal-
pebre tue. Eruere quasi damula de
manu. et quasi avis de insidiis aucupis.
Vade ad formicam o piger. et considera
vias eius. et disce sapientiam. Que
cum non habeat ducem nec preceptor-
em. nec principem. parat estate cibum sibi
et congregat in messe quod comedat. Usque quo pi-
ger dormies. Quando consurges a sompno
tuo. Paululum dormies. paululum
dormitabis. paululum conseres manus
ut dormias. et veniet tibi quasi
viator egestas. et pauperies quasi vir
armatus. Si vero impiger fueris. veniet
ut fons messis tua. et egestas longe
fugiet a te. Homo apostata vir in-
utilis graditur ore perverso. annuit
oculis. terit pede. digito loquitur. pravo
corde machinatur malum. et in omni
tempore iurgia seminat. Huic extemplo
veniet perditio sua. et subito conteretur.
nec habebit ultra medicinam. Sex sunt
que odit dominus. et septimum detes-
tatur anima eius. Oculos sublimes.
linguam mendacem. manus effun-
dentes innoxium sanguinem. cor ma-
chinans cogitationes pessimas.
pedes veloces ad currendum in malum.
proferentem mendacium testem falla-
cem. et eum qui seminat inter fratres
discordias. Conserva fili mi precepta
patris tui. et ne dimittas legem matris
tue. Liga ea in corde tuo iugiter. et
circumda ea gutturi tuo. Cum am-
bulaveris gradiantur tecum. cum dor-
mieris custodiant te. et evigilans
loquere cum eis. Quia mandatum lu-
cerna est. et lex lux. et via vite increpatio
discipline. Ut custodiant te a muliere
mala. et a blanda lingua extranee.
Non concupiscat pulchritudinem eius
cor tuum. nec capiaris nutibus illius.
Pretium enim scorti vix unius est pa-
nis. mulier autem viri preciosam animam ca-
pit. Numquid abscondere potest homo
ignem in sinu suo. ut vestimenta
illius non ardeant. aut ambulare
super prunas. ut non comburantur
plante eius. Sic qui ingreditur ad
mulierem proximi sui. non erit mun-
dus cum tetigerit eam. Non grandis
est culpe. cum quis furatus fuerit. Fura-
tur enim. ut esurientem impleat a-
nimam. Deprehensus quoque reddet septu-
plum. et omnem substantiam domus sue
tradet et liberabit se. Qui autem adulter
est. propter cordis inopiam. perdet animam
suam. turpitudinem et ignominiam
congregat sibi. et obprobrium illius non
delebitur. Quia zelus et furor viri
non parcet in die vindicte. nec acqui-
escet cuiusquam precibus. nec suscipiet pro re-
demptione dona plurima. VII.

Fili mi custodi sermones meos.
et precepta mea reconde tibi. Fi-
li honora dominum et valebis. preter
eum vero ne timueris alienum. Serva
mandata mea et vives. et legem meam
quasi pupillam oculi tui. Liga eam in
digitis tuis. scribe illam in tabulis
cordis tui. Dic sapientie soror mea
es. et prudentiam voca amicam tuam.